

V. 1<sup>K</sup> F.

(cat. 4, 33<sup>b</sup> - 46.)



Inscr.

1. Biel, Hier. Wig., progr. acad. (De dignitate acad. Witebergensis). (Witbg.) 1722.
2. De Wenger, Joh. Wh., progr. acad. (De academiarum nominatum Witebergensis praestantia et utilitate). (Witbg.) 1736.
3. Deutschmann, Jerem., Pyramis Witebergensis, s. statua honoris eorum Saxon. Electorum qui academiarn Witeberg. condiderunt, amplificarunt, locupletarunt. Witbg. 1702.
4. Weichmann, Joach. Sam., panegyrici memoriae pacis religiosae sacram indicit (To dnoiv in pace religiosa). Witbg. 1755.
5. Knollius, Joh., <sup>von Gottlieb Haub</sup> am Ruffen, <sup>Witbg.</sup> 1694.
6. Breviarium <sup>der</sup> <sup>Witbg.</sup> 1689.
7. Daubner. Witbg. 1690.
8. Latin <sup>von Gottlieb Haub</sup> <sup>Witbg.</sup> 1771.
9. Indicium <sup>von Gottlieb Haub</sup> <sup>Witbg.</sup> 1688.
- 10-29. Unigenitus <sup>von Gottlieb Haub</sup> <sup>Witbg.</sup>
30. Billeb, Jo. Sam., De diaconis Witebergae studiis sanctioribus excultis et professorum et inspectorum numeribus ornatis. Francohusae 1744.
31. Cassai, Ge. Mich., carmen in professores acad. Witebg. Witbgae 1708.

1688-1788

D

The first part of the paper is devoted to the study of the  
 general properties of the function  $f(x)$  which is defined  
 by the equation  $f(x) = \dots$  and which is continuous  
 and differentiable in the interval  $(0, 1)$ . It is shown  
 that  $f(x)$  is a monotonic increasing function and that  
 its derivative is  $f'(x) = \dots$ . The function  $f(x)$  is  
 also shown to be concave down in the interval  $(0, 1)$ .  
 The second part of the paper is devoted to the study of  
 the function  $g(x)$  which is defined by the equation  
 $g(x) = \dots$  and which is continuous and differentiable  
 in the interval  $(0, 1)$ . It is shown that  $g(x)$  is a  
 monotonic increasing function and that its derivative is  
 $g'(x) = \dots$ . The function  $g(x)$  is also shown to be  
 concave down in the interval  $(0, 1)$ .



**RECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**  
**IO. GVILIELMVS**  
**DE BERGER**

1736

**CONSILIARIVS CAESAR· ET REGIVS AVLICVS**  
**HISTORIOGRAPHVS REGIVS ELOQ· PROF**  
**PVBL· ALVMN· REGIO ELECT**  
**EPHORVS**  
**CIVIBVS ACADEMICIS**

S · P · D

de Academi... 2. 434

t, ut  
re-  
cu-  
ffet.  
ite-  
nter  
per-  
um  
re-  
con-  
UM  
US,  
ola,  
ue,  
trio  
Ma-  
im-  
ve-  
Im-  
rem  
i in  
n, &  
lora  
x-  
niti,  
for-  
ipfa  
v. i.  
fur-  
s Fi-  
rens  
runt  
oulis  
ntio-  
era-  
cum  
fo-  
res  
cur-  
ad-  
UM-  
Cal.  
not-  
nt,  
di-  
eas  
en-  
ina  
DE-  
unc  
eri-  
go,  
N-  
na:  
AE,  
ni-



**E**t si durius uideri fatum potest, quod IO· FRIDERICO  
VVERNHERO, uiribus aetatis nondum prouectae integris,  
ciuitatis huius literatae clauum, anno proximo, excussit, illius  
tamen memoria a dignitatis gradu, in quo locatus decessit, tan-  
tum capit amplitudinis, ut ea re mors eius ipsa, quo honoratior, hoc  
melior, fuisse uideatur.

Si uerus honor, non inanis eius  
species, quae tantum oculos praefringat, quaeritur, is quidem non  
aliunde, quam ab honesti fontibus, repetendus uidetur, a quibus omnis  
uitae dignitas, quae simulata non sit, unice manat. At honestum  
late, et, qua uirtus ipsa, patet, neque animi solum, sed ipsius etiam in-  
genii, cultu tenetur.

Ingenii cultura recte sentiendi scientia, ani-  
mi, recte faciendi prudentia, paratur. Vtraque sustinetur animantium  
reliquarum praestantia, qua praediti sumus, et dignitas hominis pro-  
pria, quae posita est in conuenienti rationis usu, siue uerum spectetur,  
siue bonum. Habet tamen mens hominum, coelesti luce collustrata,  
altius quiddam, quod sola ratione non capitur, sed huic demum pate-  
fit diuinitus, rerumque sacrarum disciplina humanam et intelligen-  
tiam, et uitam, reddit perfectiorem. Hoc autem omnis uel scienti-  
ae, uel uirtutis, quae quidem cadat in hominem, pondere est grauius,

adeo, ut, eo Dei beneficio qui careat, nae ille ab hominis excellentia,  
quae casto Numinis cultu eminet, tantum disiungatur, quantum a  
sanctiore Dei uoluntate discedit. Ex quo efficitur, honestum illud,  
quod cunctis explendum sit numeris, non humanis modo rebus, ue-  
rum ipsis etiam diuinis, absolui.

Quibus quidem rebus cum  
bene beateque uiuendi fundamenta contineantur, permagni refert, ut  
earum praecipua et accurate tradantur, et animis iuuenum, ad publi-  
cos uariosque usus praecolendorum, mature inferantur. Hoc autem  
fit in Academiis, ubi omnis diuinae humanaeque sapientiae recessus  
exploratur, et multiplici rerum salutarium cognitione erudiuntur, quo-  
rum deinceps opera plurimum ad futuras communesque utilitates af-  
ferri possit. Ex Academicis enim spatiis progrediuntur Theologi,  
Iureconfulti, Medici, Philosophi, Philologi, et omne eruditorum gen-  
us, quod, exquisitiore limatum doctrina, alias atque alias occupet  
partes ciuitatis, uel regundae, uel consilio tuendae, uel disciplina emen-  
dandae, omnibusque bonis cumulandae. Et, quanquam interdum  
aliqui, solius naturae habitu prope diuino adiuti, magnis dignitatibus  
praefuerunt, hi tamen rari sunt, et multas saepe negotiorum difficulta-  
tes subierunt, quae doctiorum subsidia postularent. Contra ea, cum  
ad naturam eximiam atque illustrem accessit ratio quaedam confirma-  
tioque doctrinae, tum illud, nescio quid, praeclarum ac singulare extitit,  
quod admiratur Orator Romanus.

Ductae ex Academiis,  
eruditorum coloniae latissime disseminantur, et cultiorem uitae usum  
simul propagant, barbaras etiam immanesque gentes humanitate im-  
buunt, suaeque efficiunt cura, ut, deposita et mansuefacta barbaria,  
quae frangi mitigarique uix posse uidebatur, alia hominum, ipsarum-  
que terrarum, facies appareat, et nullum asperitatis pristinae uestigium  
relinquatur. Sic honestum, ex Academicis fontibus haustum, magno-  
rum fluminum instar, in Orbem terrarum plenis alueis descendit, nec  
hominibus magis, quam rebus, nitorem imponit, quando non mino-  
rem urbium agrorumque cultum, quam hominum, docet, tot artium  
utilissimarum studiis, quibus omnis uita excolitur, in medium produ-  
ctis.

Ipsa summa reipublicae, ac totius Imperii, tribunalia,  
ipsa Principum consilia, doctrinae fructibus implentur, ex Academica  
institutione perceptis. Ab iisdem capiuntur iudicii ciuilibus instru-  
ta, prudentiae adiumenta, iustitiae praesidia, diuino humanoque iure  
instructa, togae bellicae artes, ex omnis aevi memoria erutae, illustri-  
bus



bus omnis exempli documentis comprobatae, et multa grauissimarum rerum adminicula, quibus reipublicae salus muniatur, temporum difficultates explicentur, et otium cum dignitate retineatur. Itaque Reges Imperatoresque, quorum sceptris assurgitur, quorum purpura adoratur, tantorum commodorum, quae ex studiis Academicis in omnem rempublicam proficiscuntur, cogitatione permoti, purpuram et fasces, publici honoris insignia, Academiis indulserunt. Ipsi etiam Imperatores ius Academiis condendi, in regalibus Maiestatibus suae pignoribus, sibi reseruarunt, ut ea re, quae ad nostram quoque mansit memoriam, quantum tribuerent Academiis, demonstrarent. Ac fuit profecto Germania, quoad Academiis desiderauit, horridior, quae tamen si scholas in claustris hominum religiosorum, nec ignobiles, aluit, non habuit tamen uniuersae, atque emendatioris, doctrinae communitatem, quae omnium ordinum studia complecteretur. Sed, Academiis nacta tales, quales, deterso literarum squalore, auspiciis maxime Maximiliani primi, efflouerunt, tanto enituit cultu, quem postero tempore semper auxit, ut ipsae gentes exterae, Germanico etiam nomini minus amicae, iam pridem non potuerint non fateri, nullum uel grauioris, uel elegantioris, doctrinae genus esse, quod Germanorum ingeniis non sit limatum. Qua quidem ex re Imperator Maximus non minus gloriae, quam ex pacato Germaniae statu, suscepit, cum domestica quies atque securitas tutam quidem reddat Germaniam, ingenii uero elegantia eandem ueteris horroris opinione odioque leuet. Ipsa certe Vitemberga permultum debet Illius auctoritati, qua motus, Fridericus Sapiens publicam omnium bonarum artium sedem hic statuit, tam fortunato consilii euentu, ut, si ullius ex omni Europa Academiae, Vitembergensis profecto fama, quae multis est singularibusque meritis parta, iam olim quam plurimas peruagata sit disunctissimasque gentes. Haec claris ingeniis ingeniorumque monumentis semper eluxit, omnique disciplina liberali perpolitos in patriam remisit, haec omnium ordinum doctores, omni scientia ornatissimos, inexhausto ingeniorum prouentu, effudit. Haec igitur eruditorum colonias in orbem terrarum emisit, haec, ut omnis sapientiae praeceptores submitteret, non a finitimis solum gentibus, sed a remotissimis etiam, rogata est. Haec moribus adhuc antiquis uirisque stat, haec non magis elegantissimorum, quam seuerissimorum, aemulatione studiorum maiores aemulatur, haec, si qua communi temporum iniquitate conflictata est, uires reficit semper. Haec proximis annis non exigua cepit incrementa eruditione, diligentia, tantaque suorum ciuium modestia, ut ipsi parentes, qui suos huc filios ex uicinis regionibus adducunt, praedicent, ne suos alio delegent, se, uel militum tumultu, uel caedis factae nuntiis, uel crebris studiorum impedimentis, retardari, cur autem suos Vitembergae concredant fidei, hoc industria fieri ac modestia Academiae Vitembergensis, saepe multumque laudata. Sic filiis a parentibus bene consuli, ipsa magnorum, sapientissimorumque, Principum iudicia confirmant, qui, subiectos suos ire Vitembergam, iubent, beneficiis etiam ob eam rem datis. Quod si tantum decoris habent Academiae, maxime Vitembergensis, quidni plena dignitatis iudicetur earum rectio, talis praesertim, qualem Vuernherus apud nos optimo cuique probauit. Nam summa religione animi res suas constituit, in eaque omne praesidium bene gerendae rei collocauit, nihil, arbitratus, uel deliberari recte uel agi, quod in ope diuina non innitatur. Hoc munimento fundauit prudentiam, quam rebus gerendis adhibuit, tam capacem molis omnis, ut nulli rerum difficultati succumberet, tam accinctam semper atque expeditam, ut subitis, quae fierent ex transuerso, nihilo minus, quam prouisis, con-

filio subueniret. Cum enim compositae mentis esset, quid utramque in partem posset euenire, mature cogitauit, eaque re, si quid secus accideret, constantiam retinuit, atque, hoc defensus clypeo, firmo stabilique sapientis gradu in omni fortuna stetit. Non iuris magis consultus fuit, quam iustitiae, cuius studio ductus, ad ipsam iuris disciplinam se dedit, eamque tam praecclare tradidit, ut eius scholae frequenti semper auditorum concione florerent. Quid ius fasque esset, nauiter docuit, sed idem, quod docuit, haud remisse fecit, nec ulla spe metuue ius dixit, sed, cum Vlpiano, pro ut religio suggestit. Longum est, uirtutes enarrare, quibus excelluit, satis ad ipsius laudem, ab eo bonorum expectationem non tam expletam fuisse, quam superatam, satis ad posteritatis memoriam, a nobis optari, ut Athenis nostris Professores Rectoresque, illius quam simillimi, contingant. Natum anno CIO IO C IIC, Neunkirchae, in Francis, priscæ fidei sacerdote, Io. Christophoro, et Magdalena Elisabeta, integerrimæ sanctitatis femina, Rotemburgum ad Tubarim erudiuit. Sed, anno huius seculi septimo decimo Vitembergam profecto, thesaurus patuit, omnibus diuinæ humanaeque doctrinae opibus abundans. Hic, facta praestantium uirorum copia, Philosophis primum, ipsisque Theologis, tantam docilitatem praestitit, ut utrisque magnam sui spem praerberet. Animo post ad Iurisprudentiae studium adiuncto, tantas in eo progressiones fecit, ut, experimentis doctrinae pluribus editis, in candidatos Iuris referretur, operam foro daret, domi ius, multis, sui perstudiosis, interpretaretur, et, anno eiusdem seculi quarto et uicesimo, ipsius Laureae Iuridicae praemio afficeretur. Potitus denique, sexennio post, munere Iuris publice profecti, eiusdem simul in Iuridico uariorum generum senatu respondendi, tantum uirtutis explicandae campum reperit, quantum laudis theatrum. Tanto igitur acerbior nobis est recordatio undecimi Calendas Iunias, qui uirum, multis egregiisque ornamentis clarum, aetate adhuc robusta et florente, nobis rapuit, eo praefertim tempore, quo huius Academiae gubernacula pari cura prudentiaque tractauit. Cuius quidem desiderii nostri sensum, et quanti uiuum fecerimus illum, quam mortui eius haud obliuiscamur, oratione anniuersaria politissimaque declarabit Vir Amplissimus, Prodecanus Ordinis Philosophici hoc tempore grauissimus, MARTINVS HASSEN, Philosophiae de Moribus ac Republica Professor multo Celeberrimus, Coniunctissimusque Collega. Hic, *Feria tertia, hora postmeridiana III*, in Arcis aede, grauitate, ut solet, ornateque dicturus est. Huius, CIVES, publice priuatimque audiendi, occasionem nullam dimittere soletis. Tantum abest, ut illud negligendum putetis tempus, quo Rectoris nuper uestri, amantissimi carissimique, memoria pie redintegratur. Ceterum nos, pristinorum insigniumque meritorum, quibus Perillustris, ac Generosissimus, Liber Baro, IO. BALTHASAR de VVERNHER, ornauit quondam Academiam nostratam atque cumulauit, pro eo ac par est, memores, optamus, ut Vir tantus, publice tam salutaris, annis, Patrueli, quem cura disciplinaque sua formauerat olim, fato detractis, auctus, quam longissime, ac ualetudine semper prosperrima, uitam producat, diuque ingenii, immortalibus operibus illustrati, diu iustitiae ac prudentiae, in Senatu Imperii Aulico spectatae, fama, longe lateque diffusa, fruatur.

P. P. in Sacro Pentecostali, anno instauratae Salutis

CIO IO CC XXXVI

PRELO SCHEFLERIANO



Pon Ye 3652  
L<sup>o</sup>

✓

ULB Halle 3  
002 173 891



sb

Nur für den Lesesaal!

VDAT




m.c.





...fficit, ut  
...verte-  
...tae, cu-  
...poffet.  
...), Lite-  
...nt inter  
...ember-  
...enfium  
...ita re-  
...er con-  
...LDUM  
...TUS,  
...schola,  
...atque  
...arbitrio  
...s, Ma-  
...CI im-  
...nae ve-  
...m, Im-  
...riorem  
...qui in  
...nam, &  
...meliora  
...ni exce-  
...ogeniti,  
...tur, for-  
...i in ipfa  
...lo xvi.  
...na fur-  
...ripes Fi-  
...Parens  
...fuerunt  
...nabulis  
...iratio-  
...nfecra-  
...narum  
...vit, fo-  
...ultores  
...te cur-  
...ais, ad-  
...SUM-  
...vi. Cal.  
...i, quot-  
...erunt,  
...rum di-  
...t meas  
...apien-  
...armina  
...CADE-  
...S hunc  
...s meri-  
...Ego,  
...CAN-  
...omina:  
...MIAE,  
...eveni-  
...ime



**LECTOR**  
**MIAE VITEMBERGENSIS**  
**VILIELMVS**  
**BERGER**

CAESAR ET REGIVS AVLICVS  
 APHVVS REGIVS ELOQ. PROF  
 ALVMN. REGIO ELECT  
 EPHORVS

**VSVS ACADEMICIS**  
 S · P · D

de Academi...  
 2. #248

